



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **GARZONENSIS (GARZONENSIS - NEIVENSIS)*** IN URBE NEIVA COGNOMINATA ECCLESIA CONCATHEDRALIS CONDITUR ET NOMEN GARZONENSIS DIOCESIS IMMUTATUR.

De Ecclesiarum prosperitate solliciti, quarum utilitatibus tempestive opportuneque inservire cupimus, preces admittendas censuimus quas venerabilis Frater Iosephus Paupini, Archiepiscopus titulo Sebastianopolitanus in Abasia et in Republica Columbiana Apostolicus Nuntius, ad nos adhibuit, ut scilicet urbs vulgo Neiva cognominata iam templo concathedrali donaretur eiusque nomen Garzonensi dioecesi significandae adderetur. De sententia igitur dilecti Filii Nostri S. R. E. Cardinalis qui est Sacrae Congregationis Consistorialis a Secretis, postque auditum venerabilem Fratrem Gerardum Martínez Madrigal, Episcopum Garzonensem, summa Nostra auctoritate sequentia decernimus: primo, ut servata dioecesis Garzonensis Cathedrae episcopalis dignitate, templum Deo in honorem Beatae Mariae Virginis sine labe originali Conceptae dicatum in urbe Neiva extans tamquam ecclesia Concathedralis habeatur, cum iuribus, honoribus, privilegiis et obligationibus quae eiusmodi sacris aedibus competunt. Secundo, ut Garzonensis dioecesis eiusque pro tempore sacrorum Antistes inde ab hoc tempore cognomine *Garzanensi-Neivensi* vocentur. Tertio denique, ut Garzonensi-Neivensi Praesuli eiusque successoribus posthac in urbe Neiva sedem habere liceat, si eorum arbitrio hoc bonum opportunumque videatur. Haec Nostra decreta exsequenda curabit venerabilis Frater Iosephus Paupini, quem diximus, vel per se ipse vel per alium delegatum virum, dummodo in ecclesiastica dignitate constitutum. Re vero acta, idem documenta exarari curabit, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem Consistorialem cito mittet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praferant in ecclesiastica dignitate constituti

simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto et vicesimo mensis Februarii, anno Domini millesimo nonagesimo sexagesimo quarto, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. R. E. Cancellarius

CAROLUS Card. CONFALONIERI
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellarium Regens Franciscus H. Ferretti, *Protonot. Apost.*

Ioannes Calleri, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LVII (1965), n. 2, pp. 145-146 © Copyright 1964 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana